DE SACRATISSIMA TRINITATE ORATIO

HABITA IN SACELLO PONTIFICIO.

AD SANCTISSIMVM D. N.

INNOCENTIVM XI. PONTIF. MAX.

A FRANCISCO BLANCHINO
Clerico Veronensi Saç. Theol. Doct.





ROMÆ, Typis Dominici Antonij Herculis. 1685.
SVPERIORVM PERMISSV.

INNOCENTIO XI.
PONT. OPT. MAX.

FRANCISCVS BLANCHINVS FELICITATEM.


PERAT patrocinium Nominis Tui oratio iſta, BEATISSIME PATER, poſtquam argumenti magnitudinem, & Au-

di-

ditorum dignitatem tantam didicit experiri, quantam ſperare non eſſet auſa. Patere itaque, vt pedibus Tuis humillimè aduoluta ſentiat ſe obrutam maieſtate recipientis, quæ fauoris experientia tantæ inuocationi præluſit. Optabit illa, quod Orbis Vniuerſus expoſcit, Te nempè adeò longæuum habere, vt fateatur eſſe diuturnum, quem vellet æternum.

ORATIO.



DEVM reuereri pronum eſt omnibus, BEATISSIME PATER, credere neceſſarium, amare etiam delectabile, narrare mortalibus verbis difficile: difficilius mihi: difficillimum in hoc çœtu. Sed vbi congruentius, quàm in hoc cœtu? *Laus eius in Eccleſia Sanctorũm*. Hìc ille ſedem, hìc altaria, hìc Cœlum alterum poſuit. Iubeor ipſe narrare. Iuſſu terreor; allicior tamen: nam & *Cæli enarrant gloriam Dei*, licèt eius verbo commoueantur. Laudat Dominum ima tellus, laudant profunda maria, & quæ nutu eius tremunt, etiam tremendo commendant.

Vnum, & Trinum Deum Fides noſtra fatetur: nos cum illa adoramus. *Tres enim ſunt qui teſtimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum ſunt*. Diſertè Ioannes. Deum dicimus ſummum bonum, atque adeò vnum: omnium moderatorem, ergò & intelligentem: certè etiam ſui. Qua intelligentia? Fluxili, aduentitia? Minimè verò; ſed æterna, ſed per ſe ſtante, ſed Verbo-Deo. Intelligentem hunc ne quis minuat, dicat & amantem neceſſe eſt. Intelligere enim apertè ſummum bonum, &


non

non diligere, ne perditissimi quidem, si ità intelligerent, possent. Par itàque Intelligentiæ erit Amor, æternus, per se stans, Deus. Tremuistis cum dicerem arcana verba: ipse palpitabam; certus quidem istorum, conscius tamen mei. Cogitabam enim quo demum amore ferri nos oporteret in Deum, à quo tanta donamur intelligentia. Par in Deo sui Amor, quia par cognitio: altera alteri çquatur: vterque actus ex Deo, vterque Deus. Nobis eiusdem rei perceptio est: & licet in nobis sit, est tamen humana maior. Sit itàque etiam amor nobis maior, licèt à nobis proficiscatur. Iam non seruos vocat nos Dominus, sed amicos, & intimæ quidem, ac tertiæ admissionis (vt morem & verba consecrem Imperatorum): *vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis*. Intelligamus aliquando amicorum esse vim amicitiæ intendere mutua amoris concertatione. Referamus benignitati gratiam: amemus intelligere, vt intelligamus amare. Quis recuset præludere Beatorum vicissitudini, quam exoptat. Quis detrectet Deum imitari amantem, quem diligere debet etiam punientem? habere amicum quem gloriarnur habuisse parentem? Si quis dubitat, an colenda sibi sit hæc regia necessitudo, indignus est cui offeratur. Bonos negligere mali hominis est; optimum non appetere ne hominis quidem. Sit itaque æterna nobis cum Deo societas. Communem patriam, commune regnum, communem ipsum cum ipso habemus: quid iam superest,

nisi

niſi vt communes & nos ille habeat? Immò habet, & ante ſuos nos habuit, quàm noſtros faceret: & noſtros nos fecit, vt nos haberet ex nobis. Reſtituat ſe illi qui dare detrectat. Non fugiemus iura poſcentis Dei. Dedat ſeipſum ingenuus, mancipet ſeruus, gratus referat, redemptus ſoluat, reſtituat debitor, donet amicus.

LAVS DEO.


ROMA
VITTORIO EMANUELE